

Illud adhuc meretur considerationem : *An in criminalibus testes produci & examinari possint in perpetuam rei memoriam ?* Nonnulli id simpliciter negant , sed examen testium tamdiu differendum esse censent , donec ad probationis terminum deveniatur , etiamsi de testium morte vel diuturna absentia timeatur. *Gail. l.1. Observ. 92. num. 13. p. 162.* nisi fortean de delicto aliquo agatur civiliter. *Camillus Borellus, lib. 2. Decis. tit. 8. numer. 13. & 14. fol. 68.* Rationem dat *Carpzov. part. 1. Decis. 41. num. 11. p. 204.* Quia in causis criminalibus strictissimæ requiruntur probationes, ita, ut ne latum quidem unguem à præscriptis regulis recedere liceat, ob summum periculum, in quo versatur Judex, dum super pœna corporis afflictiva decernere debet. Proinde etiam, quando criminaliter agitur de aliquo delicto, testimonium in perpetuam rei memoriam non admittitur, & hoc ob favorem rei. Inde si ejusmodi testimonium in prædicto casu admitteretur, tum quod in rei favorem esset prohibitum, simul contra ipsum concederetur, quod non caret absurditate. Vide *Dn. Hahn ad Wesemb. Paratit. ff. de Testibus numer. 5. f. 72.* ubi plures rationes collegit, quare ejusmodi testimonium non possit valere. Alii distinguunt inter Actorem & Reum, & dicunt : quod regulariter ex parte Actoris ante litem contestatam productio & examinatio testium ad perpetuam rei memoriam non valeat, *Farinac. l. 2. quest. 76. num. 113. & seqq. f. 530. criminal.* At verò à parte Rei pro deducenda sua innocentia, ut quod delictum non sit punibile, aut, quicquid reus fecit, illud fecerit ad sui defensionem, vel quod minor & absens fuerit, vel etiam alia ex causa delictum ita sit comparatum, ut non mereatur pœnam. *Gail. l. 1. Observ. 92. num. 13. pag. 162.* *Farinac. l. 2. quest. 76. num. 123. fol. 531.* etiamsi de morte vel adversa valetudine, vel etiam de diuturna absentia testium nullus subfuerit metus, *per c. 41. Extr. de Testibus.* Et hoc non solum propter personam rei, cujus partes longe favorabiliores sunt, quam actoris, *l. 38. ff. de re judic. l. 125. ff. de R. J.* Sed potissimum propter ejus defensionem, ob quam multa permittuntur, quæ aliàs à regulis juris recedunt. Dummodò reo ejusmodi exceptio competat, per quam actionem futuram ipse possit elidere: & lis nondum ab actore sit mota, seu instituta. Nam si actor jam tum litem intentaverit, reus ad producendos & examinandos testes in perpetuam rei memoriam pervenire aliter non potest, nisi causas allegare queat sufficientes, ut si testes sint valde senes : adversa valetudine laborantes, ita, ut de illorum reconvalescentia dubite-